

SANCTI MARTINI PAPÆ I

PRIVILEGIA TRIA.

PRIVILEGIUM PRIMUM,

Quo sanctus Martinus Resbacense monasterium sub sua defensione suscipit, et ei concessas immunitates confirmat * (ann. 648).

In nomine unius et summæ Deitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, Martinus, gratia Dei sedis principis apostolorum Petri papa, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ fidelibus vitæ æternæ felicitatem, etc... (sic). Quapropter agnoscat omnium devota fidelium Dei, nostrorum, scilicet, præsertim et futurorum dilectio, quod vir quidam venerabilis de regione Francorum, nomine Dado, nostram adiens præsentiam, aggressus nobis quomodo divini ardoris amore succensus, cœnobium ædificaverit, quod Jerusalem voluit appellari, in loco qui dicitur Resbacus, super rivum ejusdem nominis, in pago Meldensi, in honore principum apostolorum Petri et Pauli consecratum a venerabili fratre nostro Amando pontifice. Illic ergo prædictus Dado, multo labore, sed tamen fructuose, quod diu desideraverat usque ad finem productum, sanctissimæ vitæ virum, Agilum nomine, ibi sub patris Benedicti exemplo constituit abbatem. Ostendit nobis etiam exemplar Francorum quondam regis Dagoberti, quod fecit pro confirmatione et stabilitate ipsius loci, privilegiumque domini Faronis Meldensis præsulis, et aliorum plurimorum episcoporum, quod de statu et perduratione ipsius loci in sancta synodo fecerunt, et manibus propriis confirmaverunt. Insuper et privilegium prædecessoris nostri Johannis papæ, quod eidem loco contulit, nostræ præsentiae idem venerabilis Dado ostendit. Ilis igitur manifestatis ac demonstratis, deprecatus est nostram apostolicam celsitudinem, ut pro majore firmitate eandem locum cum egregio abbate Agilo ac commonachis seu clericis ibidem Deo famulantibus sibi ad regendum commissis; vel cum omnibus rebus et hominibus eidem monasterio subjectis aut subjiectis, in nostra potestate et dominatione defensioneque dignaremur suscipere. Hujus igitur justæ et rationabili petitioni consensum præbentes, sub beati Petri apostoli, et nostra successorumque nostrorum defensione et immunitatis tuitione libentissime suscepimus. Præcipimus ergo, ac per hanc nostram auctoritatem firmamus, ut quidquid piissimus quondam Francorum rex Dagobertus fecit et confirmavit, prædictus etiam vir Dado, necnon et reverendissimus præsul Faro cum omnibus qui cum eo fuerunt episcopis, in sancto stabilierunt concilio, et insuper hæc sancta et apostolica sedes piæ auctoritatis privilegio justè et rationabiliter ante nos confirmavit, et nunc

A etiam in præsentia nostri, nostra auctoritate de ipso loco confirmat, permansurum nostris futurisque temporibus maneat inconvulsum, et a successoribus nostris cunctisque Christianæ fidei cultoribus observetur illesum. Volumus autem ut prædictus sanctissimus vir Agilus, quem in eodem loco abbatem constitutum audivimus, sui que monachi seu successorum eorum, sæpessatum locum, una cum omnibus rebus quæ ibi appendunt, cum pratis et pascuis, cum aqua quæ dicitur Mucra, seu omni piscatione, insulis quoque ac molendiniis, necnon et piscatoriis, cum pontibus etiam, cunctisque ipsius aquæ transitoriis et cum omnibus adjacentibus, cultis et incultis, ab hodierna die usque ad ultimam hujus sæculi horam teneant et perpetually possideant. Prohibemus etiam maledicentes, ne in præsentia ac per succedentia tempora, alicujus dominationi aut subjectioni idem locus subjiciatur; nec unquam aliquis rex Francorum, vel alius quis mortalium, licentiam habeat eum venundandi, aut in beneficio cuiquam dandi, nec in ullo quolibet modo distrahendi aut tribuendi quidquam quod sit de rebus ejusdem loci; sed usque in ævum apostolicæ abbatie semper existat. Si vero de rebus ecclesiæ ejusdem alicui aliquid conferendum fuerit, post mortem in monasterio Dei restituatur, ne forte tali occasione locus amittat, nec hæres, aut aliquis ex ejus progenie, contra voluntatem servorum Dei, hereditatem Ecclesiæ possident, nisi hi quibus cuncta congregatio, certissima et rationabili causa existente, verum assensum possidendi concesserit. Qui vero de his quæ modo possident, aut certe quocunque ingenio in futurum juste possessuri sunt, minuere aut auferre quolibet modo præsumserit, excommunicationis anathemate percussus, sciat se procul dubio, absque ullo absolutionis genere, Dei et sancti Petri omniumque sanctorum, cunctorumque ad hanc apostolicam sedem pertinentium auctoritate sine fine condemnatum. Dicendum vero est quid de sacris ordinibus hæc sancta et apostolica sedes statuerit. Abbas, monachique ipsius cœnobii ordinentur et consecrentur a quocunque episcopo sanctæ romanæ Ecclesiæ voluerint subjecto, sive in eodem loco ab episcopo ab eis convocato, seu in ipsius sede episcopatus. Sanctum vero chrisma et oleum cæteraque sanctæ christianitatis necessaria a quo voluerint accipiant; et cuncta quæ utilitatis sunt Ecclesiæ sanctæ, ut est dedicatio monasterii, consecratio altaris, benedictio abbatis, et cætera omnia, cui voluerint, impleri faciant. Quicumque vero episcoporum pro his omnibus expetierint, nostra auctoritate suffultus,

* Edidit Plessæus, Hist. Eccl. Meld. t. I, pag. 677, ex apographo apud Resbacenses reposito. De ejus sinceritate suspicionem movet, pag. 48. In hac quidem bulla nulla fit mentio Radonis, unde Plessæus

bullam Joannis IV pro Resbacensibus, et chartam Burgundofaronis calumniandi causam sumpserat; certe indiget emendatione in chronologica nota.

negare non præsumat. Quod si Meldensis civitatis episcopus, in cujus episcopatu idem locus existit, abbatem, vel monachos, seu presbyteros, id est, capellanos parochiæ ecclesiæ ejusdem loci in sacris ordinaverit, si chrisma et oleum dederit, si dedicationem monasterii, consecrationem altaris, benedictionem abbatis, aut cætera Ecclesiæ commoda expetitus peregerit, nullum munus vel pretium, nec subjectionem nec retributionem nec subventionem, vel ad concilium aut synodum, vel ad aliud aliquod placitum, nec aliquam consuetudinem pro his omnibus requirere præsumat, nec etiam communia sibi proinde præparari jubeat, sed ab omni infestatione ac perturbatione idem cœnobium securum penitus ac liberum permaneat; qui autem ex his omnibus molestias illis, aut contrarietatem aliquam intulerit, damnatus pereat in æternum. Prohibemus etiam ne per defensionem aut jussionem seu violentiam ejuscunque, absque sanctæ romanæ Ecclesiæ, idem locus, sive ecclesia in quam publicus parochianorum fit conventus, excommunicetur, nec celebratio missarum, nec divinum intermittatur altaris officium, nisi forte, quod absit, ab aliquibus pravis hominibus aliqua injuria de qualibet causa injuste eis inferatur, quibus juste et legaliter nostra jussione potestatem concedimus excommunicandi, ligandi et solvendi, prout oportuerit. Prohibemus quoque interdicens, ut nullus rex, episcopus, comes, vel judex, nec quælibet persona in idem monasterium, vel ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, in quibuscumque fuerit pagis vel territoriis, ad causas audientias, vel iniusta freda tollenda, aut mansionicos, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, vel telonea exigenda, aut homines ejus tam ingenuos quam servos, super terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ullas occasiones requirendas, unquam ingredi aut exactare præsumat. Ubi cumque aut jussu abbatis prædicti, aut successorum ejus, negotiandi cum a directi fuerint, nullum telonium aut ullum censum vel ullam aliam consuetudinem aliquis ab ipsis accipere aut exactare præsumat; sed liceat tam eos quam homines vel omnia illorum cum pace discurrere, et negotia licenter peragere, et ad quascunque civitates aut portus vel loca accessum habuerint, sive per terram sive per aquam, absque ullo ripatico vel rotatico aut pontatico aut portatico aut passatico, securi et quieti cum omnibus quæ secum detulerint, per hanc nostram præsentem auctoritatem ire et re-

^a Legendum videtur *causa*.

^b Martinus papa I summum pontificatum adeptus est prima die Julii, ann. 649, ac proinde annus v pontificatus, quo signatur bulla de qua agimus, die Aprilis xxiv, erat annus Chr. 654. Ergo manifeste vitata est nota chronologica quæ bullam hanc tribuit anno Incarn. 648. Verum nemo nescit ejusmodi chronologicas notas, in apographis veteribus ab incarnatione Domini repetitas, ab exscriptoribus temere insertas fuisse, ex ipsorum conjecturis.

^c Vulgavit primum Bollandus in commentario prævio Vitæ sancti Amandi, ad diem 6 Februar. et inde Cointius, Ann. eccl. t. III, pag. 360. Iterum

A dire valeant. Quum vero prædictus vir venerabilis Agilus ejusdemque successores ab hac luce migraverint, monachi ipsius cœnobii; abbates ex se, juxta voluntatem Domini et secundu[m] regulam B. Benedicti, licentiam habeant eligendi. Interdicimus etiam ut nullus neque per pecuniam, neque per prosapie sublimitatem, aut violentiam, nec alterius congregationis abbas aut monachus, nec alius quis mortalium, ullo modo eundem præsumat locum invadere, nisi quem fratrum congregatio, vel minima pars, quamvis parva, concordi electione, secundu[m] timorem Dei elegerit. Quicumque ergo huic privilegio auctoritatis nostræ contraire tentaverit, per invocationem sacri corporis et sanguinis Domini, xcommunicatio- nis poenam cum impiis in tormentis infernalibus percipiat torquendus et cruciatus ibi in sæcula sæculorum. Amen. Observatores autem et assensores istius præceptionis, peccatorum absolutionem, gloriamque regni cælorum perenniter possideant cum Domino J. C. Amen. Datum per manus Petri abbatis et cancellarii, viii kal. Maias, indict. vii, anno incarnati Verbi ^d DCXLVIII. Anno vero pontificatus domini Martini papæ quinto, in sacratissima B. Petri apost. li sede.

PRIVILEGIUM II,

A Sancto Martino papa I concessum Blandiniensi monasterio ^c (ann. 649).

C Martinus episcopus, ultimus servorum Dei, omnibus Deum diligentibus salutem. De quotidiano sanctæ matris catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ profectu ac multiplicatione gaudere debemus, atque in vinea Domini pro mercede laboris operantibus auxilium ferre debemus, unde notum fore volumus sanctæ universalis Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam et futuris, qualiter sanctæ dilectionis nostræ filius Amandus, cum consensu et petitione carissimi filii nostri... memoris Dagoberti, Francorum regis, sive filii ejus Sigiberti, privilegium auctoritatis nostræ expetierit, de quodam cœnobio, quod ipse, delimitatis gentilium spurcitiis, fundo tenuis extruxisse dignoscitur, cui nomen Blandinium indidit, quodque etiam ab ipso consecratum est in honore beatissimi apostolorum principis Petri, doctorisque gentium Pauli, situm inter decursum duorum fluminum Scaldis et Legiæ. Privilegium quidem sanctæ auctoritatis nostræ, nostris futurisque temporibus, memorato loco indulgemus, ordinamus atque firmamus de stabilitate ipsius loci, de villis et facultatibus, de ecclesiis et ecclesiarum decimis sive familia, et de quibuscumque

edidit Miræus, Oper. dipl. t. I, pag. 333, inter donationum Belgicarum instrumenta. Cointius commentitium probat multis argumentis, quorum quædam ex anachronismis petita sunt. Datum enim dicitur cum consensu et ad petitionem Dagoberti ac filii ejus Sigiberti; uterque autem decesserat ante initium a Martino pontificatum annis plurimis. Datum dicitur indictione secunda, quæ cum nullo hujus pontificatus anno concordat. Alde Blandiniense monasterium sub dominatione Clodovei II fuisse, non sub dominatione Sigiberti; alia falsi indicia in votis sequentibus attingemus.

stipendiis specialiter inibi Deo servientium, et ecclesie ornamentorum atque luminariorum ac matriculariorum hospitem atque pauperum, juxta petitionem carorum nostrorum præcellentissimorum regum Dagoberti atque filii ejus Sigeberti, nostra apostolica auctoritate stabilimus, corroboramus et inconvulsa statuimus. Decrevimus itaque ut liceat regulari abbati ^a Florberto, ad præsens inibi subrogato vel constituto a filio nostro Amando, tam ipsi quam in reliquum futuris abbatibus, in universis utilitatibus loci, divino solatio, ita omnia disponere et ordinare, absque ullius contradictione vel refractione, ut libere invigilent mandatis Domini, secundum regulam sancti Benedicti ^b. Si quis vero (quod non optamus) temerario ausu contra hujus nostri privilegii apostolici publica scripta agere præsumperit ^c, reum se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; ac a sacratissimo corpore et sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque perinde in æterno examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem locis servantibus, et de suis bonis locum ditantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fractum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmium æternæ pacis inveniant. Scriptum per manum Stephani, notarii et regionarii et sacri scrinii sanctæ Romanæ Ecclesie, in mense Januario, indictione secunda. Datum xiv Kalendas Februarii, per manum Amandi episcopi, theatripi ^d sanctæ sedis apostolicæ.

PRIVILEGIUM III,

A sancto Martino papa I concessum Elnonensi monasterio ^e (ann. 649).

Martinus episcopus, ultimus servorum Dei, omnibus Deam diligentibus salutem.

De cotidiano sancte matris catholice atque apostolice Ecclesie profectu ac multiplicatione gaudere debemus, atque in vinea Domini pro mercede laboris operantibus auxilium ferre debemus. Unde notum fore volumus sancte universalis Ecclesie filiis, tam presentibus quam futuris, qualiter sancte dilectionis nostre filius Amandus, cum consensu et petitione

A karissimi filii nostri dive memorie Dagoberti, Francorum regis, sive filii ejus Sigeberti, privilegium auctoritatis nostre expetierit, de quodam cenobio, cui Elnonis nomen indidit ^f, quodque etiam ab ipso consecratum est in honore beatissimi apostolorum principis Petri, doctorisque gentium Pauli, inter decursum duorum fluminum Scirp et Elnonis. Privilegium quidem sancte auctoritatis nostre, nostris futurisque temporibus memorato loco indulgemus. Ordinamus itaque atque firmamus de stabilitate ipsius loci, de villis et facultatibus, de ecclesiis et ecclesiarum decimis, sive familia, et de quibuscumque stipendiis specialiter inibi Deo servientium. (Interdicimus autem, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et ex auctoritate beati Petri, apostolorum B principis, prohibemus, cujus vice huic Ecclesie Romane, auctore Deo, presidemus, ut nullus episcoporum ultra presumat de redivisibus, rebus vel chartis eorum, vel villis quocumque modo, qualibet exquisicione minuere, nec dolos vel immissiones aliquas facere, nec illorum ingredi monasterium, neque placita, nec aliud quid facere. Sed si qua causa forte inter terram venientem ad partem sive Ecclesie et monasterii venerit et pacifice non potuerit ordinari, apud electos abbates et alios Patres timentes Deum, sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Evangeliiis, finiantur. Defuncto vero abbate, non extraneus, nisi de eadem congregatione quem sibi consors congregatio elegerit, et qui electus fuerit sine dolo et venalitate aliqua ordinetur. Pariter autem C custodiendum est ut, invito abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. Sed si habundantes fuerint qui ad celebrandas Dei laudes, vel utilitates loci complendas sufficiant, de his qui superfuerint, offerat abbas coram quos dignos potuerit. Quisquis autem ex monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec potestatem nec licentiam habeat habitandi. Missas quoque publicas ab episcopo in eodem cenobio fieri omnino prohibemus, ne in servorum Dei recessibus et eorum receptaculis ulla popularibus prebeat occasio con-

^a Primus Blandiniensis abbas constitutus fuit Florbertus anno 636, decessit anno 657; Nov. Gall. Chr. t. V, col. 187.

^b Id falso dictum arguit Cointius, Annal. t. II, pag. 834, ac clericos ab initio, non monachos habuisse monasterium Blandiniense contendit; sed Mabillonius clericorum nomine monachos olim designatos fuisse docet, Ann. Ben. t. I, pag. 351.

^c Hanc clausulam iisdem omnino verbis ex Hincmaro desumptam videri monet Cointius, Ann. t. III, pag. 362; unde post ævum Hincmari fabricatum iudicat præceptum de quo agimus. Vide Hincmari opusc. 46. Ad id facit quod principatum Dagoberti omni pontificatu Martini primus conjunxerit Regno, cujus turpi hallucinatione delusus videtur præcepti fabricator; et hinc, confectum fuisse spurium hoc instrumentum circa decimum sæculum, cum Cointio iudicamus.

^d E Græco idiomate ficta vox *Theatripus*, quam interpretatur Cointius *inspector Codicum pontificie bibliothecæ*; is certe sensus non facile elicitur; sed concordat cum titulo bibliothecarii, quo insignitur

Amandus in præcepto quod proxime sequitur.

^e Exstat apud Hollandum, Commentar. præv. Vit. sancti Amandi, ad diem 6 Februarii, et ex ipso apud Cointium, Annal. eccl. t. III, pag. 361. Miræus edidit, Oper. dipl. t. I, pag. 334, ex exemplari communicato a Colvenerio. Recensimus quale a domno Quinsert exscriptum est ex chartulario quod XII sæculo adjudicatur. Autographum perit. Spurium instrumentum iisdem argumentis probat Cointius quibus falsum monstravit aliud ejusdem papæ præceptum, quod proxime præcedit, pro monasterio Blandiniensi, iisdem fere verbis conceptum. Vide notas nostras ad hoc præceptum. Circa annum 1655, teste Foppæno, Oper. dipl. Miræi, ubi supra, allegatum fuit instrumentum quod hic exhibemus ab Elnonensi abbate in lite inter ipsum et episcopum Tornacensem; ac de falsitate adeo suspectum visum est, ut abbas causa ceciderit. Miramur auctores Novæ Gallie Christianæ, t. III, pag. 251, illud tanquam sincerum adduxisse.

^f Huic monasterio postea nomen inditum est sancti Amandi, quod prævaluit.

ventibus, nec audeat cathedram ibi collocare, vel quamlibet potestatem imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi habeat, nisi ab abbate ejusdem loci fuerit rogatus: quatinus monachi semper maneat in abbatis sui potestate. Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore ob omnibus episcopis firmam statuimus illibatamque servari, ut et sue ecclesie, juvante Domino, suo tantum sint jure contenti, et abbas jam dicti monasterii atque monachi ecclesiasticis conditionibus, seu angariis vel quibuslibet obsequiis secularibus nullo modo subiaceant, nullis canonicis viris deserviant; sed remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiant ^a.) Quicumque ergo in apostolicis

^a Prolixa hæc clausula de immunitate ab episcopali potestate tota deest in præcepto pro monasterio blandiniensi, et eam parenthesis inclusimus ut facilius dignosceretur.

^b Formula hæc anathematis in præcepti violatores

A constitutionibus sincera dilectione observator extiterit, benedictionem et misericordiam a Domino percipiat. At qui ea que apostolica sedes stabilivit, pro nichilo ducere atque violare tentaverit, beati Petri, apostolorum principis, nostrique apostolatus auctoritate anathematis vinculis irretitus, ut sacrilegus a sinu matris Ecclesie et participatione corporis et sanguinis Christi separatus, cum diabolo et angelis ejus sententiam damnationis accipiat ^b. Amen. Scriptum per manum Stephani, notarii et regionarii et sacri scrinii sancte Romane Ecclesie, in mense Januario, indictione ij. Datum xiv Kal. Februarii, per manum Amandi episcopi, bibliothecarii sancte sedis apostolice.

B discrepat a formula in præcedenti præcepto usurpata: sed in utroque ipsissima est subscriptio, nisi quod Amandus dicitur bibliothecarius, qui in altero theatrapus appellatur. Ipsissimæ quoque chronologicæ notæ.

ANNO DOMINI DCL.

SANCTUS GALLUS,

EPISCOPUS CLAROMONTANUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Gallia Christiana, tom. II.)

Hunc dicunt ante episcopatum fuisse archidiaconum beati Avari. Festum habet Kalendis Novembris. In Vita sancti Amabilis Gallice a D. Chevalier edita Lugduni, apud F. Barbier, 1701, lego sanctum

C Gallum sancti Avari archidiaconum ædificasse sacellum in honore sancti Amabilis, in quod ejus sacrum corpus transtulit Kalendas Aprilis, anno 649. Creatur deinde Arveni episcopus anno 650.

EPISTOLA SANCTI GALLI AD SANCTUM DESIDERIUM.

(Vide infra inter Opera sancti Desiderii, lib. II Epist., hujus tomi col. 265.)

ANNO DOMINI DCL.

SANCTUS PAULUS,

VIRODUNENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Gallia Christiana, tom. XIII.)

Sanctus Paulus nobilis Belga ex eremita montis Gebennæ primum monachus, dehinc Theologiensis abbas. Ejus primordia sic a Trithemio et Wasburgio referuntur: « Paulus super montem Gebennam, in opposito civitatis Trevericæ trans pontem Mosellæ fluminis vitam duxit eremiticam. Deinde veniens ad memoratum Dologiense [Theologiense] cœnobium monachus factus est. Istuc cum divertisset, tantum honoris ob eximias virtutes brevi assecutus fuisse perhibetur, ut excepto nomine pastoris, vice magistri ab omnibus

D coleretur. Hinc ejus curæ commendati, qui eo se conferebant, tirones, cœperuntque ad eum ex longinquis terræ partibus, audita ejus famæ opinione, multi confluere, non solum mediocrium hominum, sed et nobilium ac præpotentium filii. » Ex hisce verbis, excepto nomine pastoris, nonnulli autumant Paulum non existitisse abbatem, sed nihil aliud inde colligunt quam Paulum scholæ litterarum præpositum fuisse, qui Grimonem cæterosque adolescentes Scripturas doceret.